OBSERVATIONES CRITICAE

IN ALIQUOT LOCOS ARISTOTELIS

SCRIPSIT

M. HAYDUCK.

GRYPHISWALDIAE.

TYPIS FRID. GUIL. KUNIKE.

De anima II, 2, p. 414 a10.

Aristoteles de an. II, 2 primum ostendit animae facultates praeter unam mentem omnes ita inter se coniunctas esse, ut cogitatione tantum, non re ipsa possint separari; deinde reversus ad ea, quae primo capite de notione animae disputavit, paulo uberius quam supra p. 412 a16 sqq. exponit corpus materiae et substrati, animam formae et notionis locum tenere. Quemadmodum, inquit 414 a4, id, quo cognoscimus, duplici sententia subiecta et cognitionem et animam dicimus, itemque id, quo valemus, et valetudinem et corpus appellamus, quae quidem ita discernenda sunt, ut cognitio et valetudo *εἴδους καὶ λόγου*, anima et corpus *ὕλης καὶ ὑποκειμένου* loco habeantur, sic etiam vivere nos ac sentire dicimus et anima et corpore. Anima autem *πρώτως* i. e. suapte natura est *τοῦτο ᾧ ζῶμεν καὶ αἰσθανόμεθα*, quum corpus per se ipsum vita et sensu careat. Quod si propria vis et natura *τοῦ ζῶντος σώματος* in anima posita est, sequitur, ut haec non materiae et substrati, sed formae et notionis partes obtineat[1]). Hunc sententiarum nexum Bonitzius (Arist. stud. II, 58 III, 120[2])) particula *δὲ* a5 eiecta et verbis recte interpunctis egregie restituit; unum tamen mendum idque levius reliquit in his verbis *τούτων δ' ἡ μὲν ἐπιστήμη τε καὶ ὑγίεια μορφὴ καὶ εἶδός τι καὶ λόγος καὶ οἷον ἐνέργεια τοῦ δεκτικοῦ, ἡ μὲν τοῦ ἐπιστημονικοῦ, ἡ δὲ τοῦ ὑγιαστικοῦ*. Corpus enim, quatenus valetudinem potest recipere (*τὸ δεκτικὸν ὑγιείας*), non *ὑγιαστικόν* sed *ὑγιαστόν* dicendum est; nam illa voce significatur *τὸ ποιητικὸν ὑγιείας*, de quo Aristoteles infra mentionem facit (*δοκεῖ γὰρ ... ἐνέργεια*), rationem afferens, quamobrem formam et notionem *ἐνέργειαν τοῦ δεκτικοῦ* appellaverit. Itaque a10 *ὑγιαστοῦ* e cod. X recipiendum esse censeo.

De an. II, 8, p. 420 a10.

Aristoteles de natura soni et auditus disputans sonum ait corporum collisu editum aëre simul percusso et motum inde acceptum continenter propagante ad aures perferri. Itaque siquid tale

---

1) *Ἐντελέχεια* enim omnis in forma et notione consistit; anima autem corporis (*τοῦ δυνάμει ζωὴν ἔχοντος*) est *ἐντελέχεια*. — Sic fere Aristoteles infra a14—19 hanc disputationem absolvit. Quae quum ad eam definitionem animae, quae supra 412 a27 est proposita, vel explicandam vel confirmandam instituta sit, res ipsa videtur postulare, ut Aristoteles animam *ἐντελέχειαν* esse ex eo colligat, quod eadem sit forma et notio. At contra disputatio ita procedit, ut animam *λόγον καὶ εἶδος* esse adhibita *ἐντελεχείας* notione comprobetur. Melius certe se res haberet, si Aristoteles a14 *τριχῶς δὲ* scripsisset.

2) Comm. acad. Caes. Vindobon. vol. XLI, 434. XLII, 87.

sit, ut aëris continuum usque ad aures motum efficere possit, id sonandi facultatem habere. Deinde quomodo sensus ipse sonum ita sibi oblatum percipiat, his verbis exponitur 420 a4 ἀκοὴ δὲ συμφυὴς ἀέρι (Torstr. [1]) coni. ἀκοῇ-ἀήρ), διὰ δὲ τὸ ἐν ἀέρι εἶναι κινουμένου τοῦ ἔξω ὁ εἴσω κινεῖται. (Sic Torstr. primus recte scripsit). διόπερ οὐ πάντῃ τὸ ζῷον ἀκούει οὐδὲ πάντῃ διέρχεται ὁ ἀήρ· οὐ γὰρ πάντῃ ἔχει ἀέρα (ἀλλὰ add. Torstr.) τὸ κινησόμενον μέρος καὶ ἔμψυχον. (ἔμψοφον egregie coni. Torstr.) αὐτὸ (αὐτὸς Torstr.) μὲν δὴ ἄψοφον ὁ ἀὴρ διὰ τὸ εὔθρυπτον· ὅταν δὲ κωλυθῇ θρύπτεσθαι, ἡ τούτου κίνησις ψόφος. ὁ δ' ἐν τοῖς ὠσὶν ἐγκατῳκοδόμηται πρὸς τὸ ἀκίνητος εἶναι, ὅπως ἀκριβῶς αἰσθάνηται πάσας τὰς διαφορὰς τῆς κινήσεως. Torstrikius verbis ita ut dixi emendatis non dubie veram sententiam restituit. Haec enim Aristoteles dicit: in ipsa aure (sub membrana tympani) aëra inclusum esse, qui externi aëris motus (int. eos, quibus sonus propagetur) excipiat et ad ipsum sensum perducat. Propterea animalia hac una parte audire; nimirum quod in hac sola insit aër, qui sonis continuam ad auditum viam praebeat. Deinde a9 (nam vv αὐτὸς μὲν δὴ ... ψόφος praetermitto, quorum licet per se perspicua sit sententia, tamen hoc loco [2]) nullum esse usum patet) aëra in aure seclusum esse ostendit πρὸς τὸ ἀκίνητος εἶναι, ut omnes externi motus (int. sonorum) differentiae auditu subtiliter percipi possint. At qui hic ἀκίνητος dicitur, eundem Aristoteles supra docuit externi aëris impulsu *moveri*, atque hoc ipso loco scriptum videmus omnem eius vim in eo consistere, ut motiones extrinsecus sibi mandatas quam accuratissime ad sensum traducat. Interpretes tamen, quorum quidem commentarios inspicere mihi licuit, nullam in his difficultatem agnoscunt. E quibus Themistius (paraphr. fol. 80) [3]) sententiam sic exponit ὁ δὲ ἐν τοῖς ὠσὶν ἀὴρ γίνεται μὲν συνεχὴς καθάπερ ἔφην τῷ ἔξω, ἄψοφος δὲ μᾶλλον αὐτὸς τῇ οἰκείᾳ φύσει ὥστε ἀκριβῶς αἰσθάνεσθαι πάσας τὰς διαφορὰς τῶν ἔξωθεν ψόφων μὴ ταραττόμενος ὑπ' οἰκείου σάλου — et infra οὐ μὴν ἐπεί γε ἀκίνητον ἔφην τὸν ἐν τοῖς ὠσὶν ἀέρα, παντελῶς αὐτὸν ὑποληπτέον ἀκίνητον εἶναι, ἀλλ' *ἀκίνητος οὕτως ὅτι οὐ μεθίσταται ὅλος* (ὅλως) οὐδὲ ἄλλος καὶ ἄλλος ὑπάρχει ἀλλ' αὐτὸς ἀεὶ μένει. Similem in modum Trendelenburgius comment. p. 387: propterea aër inclusus est, ut a *ceteris aëris fluctibus* et turbis immunis soni motui suscipiendo eiusque differentiis percipiendis eo magis pateat. — Hanc sententiam sane res ipsa postulat; quomodo autem in eam conveniat generalis notio τῆς ἀκινησίας non video. Nihilo magis Torstrikius in illa notione offendit, qui ea verba ad hunc modum explicat: Is igitur aër quem συμφυῆ vocat *per se motu careat* necesse est, sicut aqua in oculo inclusa per se ἄχρους est. Si enim vel auditus vel visus instrumentum per se haberet sonum vel colorem, is profecto impediret externum sonum vel colorem, quominus accurate perciperetur. — Quae explicatio licet eodem, quo illae, spectet, ipsa tamen verba ad rem minus accommodata sunt; neget enim aliquis πρὸς τὸ ἀκίνητος εἶναι *καθ' αὑτόν* quicquam interesse, utrum aër in aure inclusus sit an omnibus externi aëris motibus pateat. Immo hoc dicere vult Aristoteles aëra illum idcirco inclusum esse, ne quem alium praeter ipsos sonos motum extrinsecus accipiat; nam si quo vehementiore impetu externi aëris agitaretur, *sono in ipsa aure orto* futurum esse, ut sensus ad externos sonos percipiendos impediretur. Ergo aër ἐγκατῳκοδόμηται, *ut suo loco maneat*. Si haec sententia verbis subest, nescio an legendum sit πρὸς

---

1) Aristotelis de anima libri III. Recensuit Adolfus Torstrik.

2) Manifesto enim pertinent ad ea, quae p. 419 b19 sqq. disputantur.

3) Hoc uno ex veteribus in hunc Aristotelis librum commentariis uti mihi contigit.

τὸ ἀμετακίνητος εἶναι. Sic enim universalis notio ad eam quam dixi speciem, *τὴν κατὰ τόπον κίνησιν* redigitur.

De an. II, 9. p. 421 ᵇ19.

Dubites, inquit Aristoteles, num odorandi idem omnibus animalibus sensus sit. Homo enim licet id, quod oleat, in ipsas nares inserat, nihil tamen odorabitur, nisi aëra odoribus completum spiritu per nares duxerit. Ea autem animalia, quae carent sanguine, non respirant; eadem tamen odorantur. Ex his conicias alium quendam praeter eos, quos vulgo dicimus, sensum esse, quo illud genus animalium odores percipiat; (ᵇ19 *ὥστε τὰ ἄναιμα ἐπειδὴ οὐκ ἀναπνέουσιν ἑτέραν ἄν τιν' αἴσθησιν ἔχοι παρὰ τὰς λεγομένας*).[1] At re ipsa patet unum modo odoratum esse et q. sq. — In hoc sententiarum nexu et ordine haec verba occurrunt ᵇ17—19 *καὶ τὸ μὲν ἐπ' αὐτῷ τιθέμενον αἰσθητηρίῳ ἀναίσθητον εἶναι κοινὸν πάντων· ἀλλὰ τὸ ἄνευ τοῦ ἀναπνεῖν μὴ αἰσθάνεσθαι ἴδιον ἐπὶ τῶν ἀνθρώπων. δῆλον δὲ πειρωμένοις.* Quae verba quorsum pertineant facile intellegitur. Nempe Aristoteles postquam docuit homines, si spiritum contineant aut emittant, ne id quidem posse odorari quod ipsis naribus imposuerint, iam illud quidem ait omnium sensuum[2]) commune esse, ut nihil percipiant, quod ipsa sensuum instrumenta contingat, respirandi autem necessitatem propriam esse *ἐπὶ τῶν ἀνθρώπων.* Huius enuntiationis alterum membrum corruptum esse apparet. Primum enim Aristoteles aliis locis diserte docet non solum hominem sed omnia quae respirent animalia ad odorandum spiritu egere. II, 7,419 ᵃ35 *φαίνεται γὰρ καὶ τὰ ἔνυδρα τῶν ζῴων ἔχειν αἴσθησιν ὀσμῆς· ἀλλ' ὁ μὲν ἄνθρωπος καὶ τῶν πεζῶν ὅσα ἀναπνεῖ ἀδυνατεῖ ὀσμᾶσθαι μὴ ἀναπνέοντα.* Cf. de sensu et sens. 5,444 ᵇ21, de respir. 7,473 ᵃ23. Deinde patet vv. *ἀλλὰ-ἀνθρώπων* superioribus non recte opponi; quae quum sensuum aliquid commune esse doceant, consentaneum est etiam *ἴδιον* illud, quod sequitur, ad sensum quendam pertinere. Atqui *τὸ ἄνευ τοῦ ἀναπνεῖν μὴ αἰσθάνεσθαι* proprium est odoratus. Itaque scribendum est *ἴδιον ἐπὶ τῶν ὀσφραντῶν.* Videntur autem verba a malo quodam interprete depravata esse, qui ᵇ18 *πάντων ζῴων* audiret et ex eo, quod Aristoteles ᵇ14 homine exemplo utitur, falso colligeret ea, quae ᵇ14—16 disputantur, ad unum hominem spectare.

De an. III, 4 p. 429 ᵇ23.

Quaeritur, quomodo mens cogitare possit, si quidem talis sit, qualem eam esse Anaxagoras contendat; ᵇ22. *ἀπορήσειε δ' ἄν τις, εἰ ὁ νοῦς ἁπλοῦν ἐστὶ καὶ ἀπαθὲς καὶ μηδενὶ μηδὲν ἔχει κοινὸν, ὥσπερ φησὶν Ἀναξαγόρας, πῶς νοήσει, εἰ τὸ νοεῖν πάσχειν τί ἐστιν. ᾗ γάρ τι κοινὸν ἀμφοῖν ὑπάρχει τὸ μὲν ποιεῖν δοκεῖ τὸ δὲ πάσχειν.* Vv. *ᾗ γάρ τι — πάσχειν* quo pertineant, dubitare se profitetur Trendelenburgius; veri simillimum tamen esse iudicat ea aliquid momenti habere ad eam, quam

---

1) In his igitur verbis inest *ἀπορία* illa, quam Ar. ᵇ13 dicit; vv. *εἰ πάντα μὲν ὁμοίως ὀσμᾶται* sqq. huius *ἀπορίας* rationem afferunt. Quam ob rem interpunctione ᵇ16 et 19 mutata (*τεθῇ· πειρωμένοις·*) totus locus ᵇ13—21 una comprehensione verborum complectendus est.

2) V. ᵇ18 non *ζῴων* sed *αἰσθητῶν* audiendum esse recte monuit Trendelenburgius, qui etsi de verbis *ἀλλὰ ..ἀνθρώπων* nihil laborat, id tamen perspicit Aristoteli, si illud voluisset, ᵇ17. 18 *ἀνόσφραντον* et *ὀσφραίνεσθαι* dicendum fuisse. Cf. Them. fol. 81ᵃ. De re ipsa v. II, 7,419ᵃ12 *ἐὰν γάρ τις θῇ τὸ ἔχον χρῶμα ἐπ' αὐτὴν τὴν ὄψιν οὐκ ὄψεται.* ᵃ25 *ὁ δ' αὐτὸς λόγος καὶ περὶ ψόφου καὶ ὀσμῆς ἐστίν.* C. 11,423 ᵇ17 idem de tactu et gustatu dicit. Ea enim, quibus res sub tactum et gustatum subjectas contingamus, (carnem et linguam) horum sensuum non instrumenta sed quasi media quaedam esse docet, (ita enim reddere liceat Graecam vocem *τὸ μεταξὺ*) quae quidquid gustando et tangendo percipi possit ad ipsos sensus traducant.

Aristoteles dicit, difficultatem tollendam. Primum, inquit comment. p. 483, id agi existimes, ut ad motam quaestionem breviter respondeatur. Quod si est, locum in hanc sententiam explicandum iudico: *ἀμφοῖν* duplex sit cognitionis genus, sensuum perceptio et mentis intelligentia, *κοινὸν* communis res, quae et sensus ferit et mente comprehenditur. Quatenus igitur utrique et sensui et menti communis res cognoscenda proposita est, ille pati haec agere videtur. Qua ratione patiendi necessitas a mente ad sensus amandatur; quamquam ne ita quidem, si verum quaeris, a patiendo prorsus mens liberatur; patitur enim ipsis sensibus ministris. Commentatores locum aliter accipiunt, sed haud scio an minus prospere. Haec interpretatio vereor ne ab ipsis verbis aliena sit; neque enim video, quo iure possit *ἀμφοῖν* ad duplex illud, quod Trendelenburgius dicit, cognitionis genus referri, quum hoc loco de sola mente disputetur; neque quid sibi velit particula *γάρ* satis apertum est. Nam licet interdum haec coniunctio ab Aristotele ita usurpetur, ut ad sententiam aliquam cogitatione addendam spectet [1]), certe tamen eam sententiam talem esse oportet, quae ex ipsis verbis facile intellegatur et quasi ultro se lectori offerat [2]). Hoc autem loco si Trendelenburgium sequimur, ex iis, quae Aristoteles dicit, nihil omnino possumus elicere, quod verbis *ᾗ γάρ τι . . . πάσχειν* comprobetur. At exciderunt fortasse, inquit, aliqua verba. Sed hoc auxilio non opus est; verba enim integra sunt sententiamque veteres interpretes recte exponunt [3]). E quibus Themistius fol. 88 a. *Ἀναξαγόρας δὲ* inquit *πῇ μὲν ὀρθῶς ἔλεγε περὶ τοῦ νοῦ, πῇ δὲ οὐκ ὀρθῶς. ἄμικτον μὲν γὰρ αὐτὸν ἁπάσης ὕλης ποιῶν ὀρθῶς ὑπενόει, πῶς δὲ τοιοῦτος ὢν πάντα νοήσει εἴπερ τὸ νοεῖν πάσχειν ἐστίν, οὐκ ὀρθῶς διδάσκειν ἡμᾶς παρεώρα. πάσχει γὰρ οὐδὲν ὃ μὴ κεκοινώνηκεν ὕλης, ἀλλὰ ταύτην δεῖ κοινὴν ὑποκεῖσθαι καὶ τῷ πάσχοντι καὶ τῷ ποιοῦντι.* Similiter Simplicius et Philoponus, de quibus v. Trendelenb. comment. p. 484. Hac igitur interpretatione vv. *ᾗ γὰρ — πάσχειν* cum superioribus ita coniunguntur, ut propositam difficultatem non tollant, sed ratione allata confirment. Si hoc verum est — id quod totius loci vi et ratione accuratius exposita perspicuum fore confido — necessario sequitur, ut vv. *καὶ ἀπαθές* ᵇ23 delenda sint. Quod quo facilius appareat, eam argumentationem, qua *ἀπορία* illa nititur, in syllogismi formam liceat redigere. Qua in re ordiendum est a vv. *ᾗ — πάσχειν*; quorum vis ut recte intellegatur, *ἀμφοῖν* non ad ea, quae antecedunt, revocandum est (haec enim ut dixi ad unam mentem pertinent), sed audiendum *τοῦ ποιοῦντος καὶ τοῦ πάσχοντος*, quae notiones in sequentibus verbis *τὸ μὲν ποιεῖν δοκεῖ, τὸ δὲ πάσχειν* occurrunt. Hunc igitur in modum Aristoteles ratiocinatur: Unumquidque videtur hactenus in alterum agere aut ab altero pati posse, quoad ei aliquid cum illo commune [4]) est. (Ergo omnino non potest, nisi quid commune est). Atqui mens, ut ait Anaxagoras, simplex est neque quicquam cum ulla alia re commune habet; *ὁ νοῦς ἁπλοῦν ἐστὶ [καὶ ἀπαθὲς] καὶ μηδενὶ μηδὲν ἔχει κοινόν.* Ergo mens a nulla re quic-

---

1) De ea re v. Waitzii comment. ad top. III, 4 p. 119 ᵃ6.

2) Velut top. IV, 2 p. 122 ᵇ39, quem locum affert Waitzius, ipsum futurum condicionale *συμβήσεται* ea quae consequantur *ἐπ' ἴσης . . . . λέγεσθαι* falsa esse significat. Quam ob rem de an. I, 4 p. 409ᵃ 24 non videtur in hoc usu particulae *γάρ* acquiescendum esse, quoniam verba interposita *καίτοι — ἀπείρους* legentis animum ab ea sententia, quam Trendelenb. audiri vult, longe avocant.

3) Ceterum Trendelenb. quae ab his afferuntur non simpliciter reicienda esse censet, sed interpretationi a se propositae ita subicit, ut lectori integram optionem relinquat.

4) Id quale sit docet de gen. et corr. I, 7,323 ᵇ29 *ἀλλ' ἐπεὶ οὐ τὸ τυχὸν πέφυκε πάσχειν καὶ ποιεῖν ἀλλ' ὅσα ἢ ἐναντία ἐστὶν ἢ ἐναντίωσιν ἔχει, ἀνάγκη καὶ τὸ ποιοῦν καὶ τὸ πάσχον τῷ γένει μὲν ὅμοιον εἶναι καὶ ταὐτό, τῷ δ' εἴδει ἀνόμοιον καὶ ἐναντίον.*

quam patietur. Iam cogitare est pati aliquid. Nihil igitur cogitabit, siquidem talis est, qualem eam Anaxagoras dicit. Ex his intellegitur vv. καὶ ἀπαθές e textu eicienda esse; non enim in assumptione locum habent, quae manifesto ad conclusionem pertinent. Atque idem patebit, quum ab hac sententiarum dispositione ad ipsa Aristotelis verba redierimus. Retineamus enim illud ἀπαθές: iam quid difficultatis oriatur, si mentem nihil pati posse sumpserimus, verbis εἰ τὸ νοεῖν πάσχειν τί ἐστιν ita significatur, ut prorsus supervacaneum sit, ne dicam ineptum, ad haec aliquid argumenti adicere. Num quid enim gravius et quod summam rei magis attingat afferri potest quam videri illam ἀπάθειαν ipsi naturae et notioni cogitandi repugnare? Quae igitur sequuntur ἢ γὰρ — πάσχειν ad ceteras tantummodo qualitates, quas Anaxagoras menti attribuere dicitur, (vel potius ad alteram earum τὸ μηδενὶ μηδὲν ἔχειν κοινόν) pertinere merito opineris. At vero ita adiuncta sunt, ut etiam ad ἀπάθειαν necessario sint referenda. Ergo alienum additamentum ita quoque perspicias [1]). Ceterum Aristoteles saepe docet mentem ab Anaxagora ἀπαθῆ appellari (v. phys. VIII, 5,256 ᵇ25, de an I, 2,405 ᵇ20 all.); atque ipse in hoc capite p. 429 ᵃ15. 29 talem eam esse dicit; quibus rebus lector aliquis, qui non tam sententiarum diversitatem spectaret quam verborum similitudines sectaretur, facile adduci potuit, ut hic quoque verbum illud addendum putaret.

De an. III, 6 p. 430 ᵇ20.

Errari non posse docet Aristoteles, si simplicia et individua mente comprehendantur; in coniungendis autem notionibus errori locum esse. Individuorum deinde tria genera discernit: quorum primum est τὸ κατὰ ποσὸν ἀδιαίρετον ᵇ6 — 14 [2]). Quamquam enim omnis magnitudo suapte natura est talis, ut (in infinitum) dividi possit, eadem tamen, nisi re vera dividitur, ἐνεργείᾳ ἀδιαίρετος est. Propterea, si tale aliquid ut linea aut planities uno mentis quasi aspectu et uno puncto temporis (haec enim necessario inter se coniuncta sunt) totum comprehenditur, tamquam individuum cogitatur; sin singulae eius partes deinceps cogitatione percipiuntur, ipso mentis actu res dividitur. — Alterum genus dicit τὸ τῷ εἴδει ἀδιαίρετον ᵇ14. Notio quoniam natura individua est (dividendo enim ipsa tollitur, quippe quae in alias notiones dissolvatur), individuo et tempore et mentis actu cogitetur necesse est; κατὰ συμβεβηκὸς δὲ, καὶ οὐχ ᾗ ἐκεῖνα, διαιρετὰ ᾧ νοεῖ καὶ ἐν ᾧ χρόνῳ i. e. licet et tempus et actus ipse cogitandi sint dividua (utrumque enim continuum est) tamen hoc in ea cadere non potest, quatenus tale aliquid ἀδιαίρετον cogitatur [3]). De tertio denique genere ᵇ20 haec dicuntur: ἡ δὲ στιγμὴ καὶ πᾶσα διαίρεσις καὶ τὸ οὕτως ἀδιαίρετον δηλοῦται ὥσπερ ἡ στέρησις. καὶ ὅμοιος ὁ λόγος ἐπὶ τῶν ἄλλων οἷον πῶς τὸ κακὸν γνωρίζει ἢ τὸ μέλαν· τῷ ἐναντίῳ γάρ πως γνωρίζει. Horum verborum aperta est sententia. Punctum, inquit Aristoteles, et si quid aliud est, quod non ipsum magnitudinem habeat, sed magnitudinis finis tantummodo et terminus sit [4]), eadem ratione cogitatur qua στέρησις i. e. eae notiones, quae, ut breviter dicam, certi cuiusdam habitus vel qualitatis absentiam significant. Quemadmodum enim στέρησις cogitari non potest nisi adhibita notione eius qualitatis,

1) Veteres interpretes de vv. καὶ ἀπαθές parum inter se consentiunt. Simplicius ea agnoscit, omittit Themistii paraphr. De Philopono ex iis, quae Trendelenburgius affert, nihil conicias.

2) Eodem videntur pertinere quae ᵇ17—20 leguntur; de quo loco cf. Torstr. comment. p. 192.

3) Cf. Torstr. l. l. p. 192.

4) Id enim valet πᾶσα διαίρεσις, quae verba idcirco videtur addere, ut latiore notione et spatii et temporis puncta complectatur.

cui opposita est — ἕξεως enim notionem dum cogitando tollimus, στέρησιν comprehendimus, eaque una est mentis actio — eodem modo punctum, quod per se nihil aliud est, quam privatio μεγέθους, ita tantummodo cogites, si magnitudinis vel continuitatis notionem mente sustuleris. Cf. Them. fol. 91^b. Et eadem ratione, inquit, reliqua ut malum aut nigrum. Ergo haec quoque ὥσπερ στέρησιν cogitari putandum est. At ipsum et malum et nigrum στέρησις est. Cf. metaph. IV, 2,1004^b 27 τῶν ἐναντίων ἡ ἑτέρα συστοιχία στέρησις; ibid. 6, 1011 ^{b}18, XI, 6, 1063 ^{b}17 all., quibus locis Aristoteles contraria vel potius contrariorum alteram seriem, in qua nigrum et malum inest, στερήσεως loco habendam esse docet [1]). Aliter quidem iudicat categ. 10, 12 ^{b}26 ubi hanc notionem ita definit, ut contrarietas a privatione prorsus avellatur [2]); sed quae illic disputat, ea neque aliis locis, ut videmus, ullius momenti putat neque vero hic est quod respiciat. Non enim ἐπὶ τῶν ἄλλων quid intersit, sed quid simile sit ostenditur. Num igitur putamus Aristotelem hoc loco praeter consuetudinem contrarietatem a privatione disiungere, quum utriusque eandem plane esse rationem iudicet? Nec vero, si disiungeret, verbo ἄλλων uteretur ad contraria significanda. Qua re adducor, ut vv. καὶ ὅμοιος - μέλαν alienum additamentum esse existimem. Nimirum is, qui ea conscripsit, parum perspectum habebat contrarietatem in στερήσεως notione contineri. Quam ob rem quum ipse contraria eodem modo quo punctum et στέρησιν cogitari arbitraretur, hoc tamquam a philosopho omissum in margine ita adnotavit, ut contraria satis neglegenter ambiguo verbo ἄλλων significaret. — Quod autem verbis illis eiectis v. ἐναντίῳ ^{b}23 non ad ipsum, quod proprie dicitur, contrarium spectat sed ad στέρησιν revocandum est, id quidem nihil dubitationis habet, quoniam aliis quoque locis Aristoteles contrarii notionem ad reliqua, quae latius pateant, oppositionis genera transfert. Cf. phys. V, 1 p. 225 ^{b}3, καὶ γὰρ ἡ στέρησις κείσθω ἐναντίον, καὶ δηλοῦται καταφάσει, τὸ γυμνὸν καὶ λευκὸν (Metaph. XI, 11 νωδὸν) καὶ μέλαν. De somn. et vig. 453 ^{b}27. V. Bonitzi ind. Arist. v. ἐναντίος.

De an. III, 13 p. 435 ^{b}6.

Corpora animalium, inquit Aristoteles, simplicia esse (i. e. ex uno elemento constare) non possunt. Nam quum omnibus animalibus communis sit tactus — hic enim unus sensus ad vitam tuendam omnibus necessarius est — nec possit eius sensus, qui solida et terrena percipit, tale instrumentum esse, quod nihil terrae in se contineat, efficitur, ut animalium corpora ex mera aqua aut aëre aut igne constare non possint. Jam quum non solum terrae sed etiam ceterorum elementorum qualitates quaedam veluti calor et frigus [3]) sub tactum cadant, in ipso sensus instrumento, quo haec omnia

---

1) Quae ratio inter στέρησιν et ἐναντίωσιν intercedat, accuratius exponitur Metaph. X, 4; ubi v. 1055 ^{b}14 δῆλον ὅτι ἡ μὲν ἐναντίωσις στέρησις ἄν εἴη πᾶσα, ἡ δὲ στέρησις ἴσως οὐ πᾶσα ἐναντιότης. Latius igitur patet privationis notio quam contrarietatis.

2) V. Zeller Phil. d. Griech. II, 2, p. 154 n. 3.

3) Facile suspiceris Aristotelem ^{a}23 θερμὸν καὶ ὑγρὸν scripsisse. Nam quum omnes corporum differentias, quae sub tactum cadant, (quas enumerat de gen. et corr. II, 2 p. 329^b) ad duo paria contrariorum calidum et frigidum, siccum et humidum revocet, ex his terrae τὸ ψυχρὸν καὶ ξηρόν attribuit. Quod si nostro loco διαφοραὶ γῆς summae hae dicuntur differentiae, in quibus propria terrae natura consistit, apertum est ^{a}23, ubi de reliquis differentiis agitur, non ψυχροῦ sed ὑγροῦ legendum esse. Ac favent sane huic interpretationi, quae de an. II, 11 p. 423^b 26 inveniuntur ἁπταὶ μὲν οὖν εἰσὶν αἱ διαφοραὶ τοῦ σώματος ᾗ σῶμα· λέγω δὲ διαφορὰς αἳ τὰ στοιχεῖα διορίζουσι, θερμὸν ψυχρόν, ξηρὸν ὑγρόν. At nescio an verbis sic mutatis a vera philosophi sententia deflectamus. Nihil enim obstat, quin omissa altera τοῦ ψυχροῦ differentia verba illa διαφοραὶ γῆς ad solam terrae siccitatem et soliditatem atque ceteras quae cum his coniunctae sunt qualitates veluti duritiam et asperitatem referamus; haec enim terrae re vera propria esse dixeris, quum frigus in aquam magis quam

percipiantur, praeter terram etiam ceterorum aliquid elementorum inesse necesse est. Tactu autem, ut supra dictum est, eoque uno ex omnibus sensibus animalia ad vivendum carere non possunt; 435^b 4 *φανερὸν τοίνυν ὅτι ἀνάγκη μόνης ταύτης στερισκόμενα τῆς αἰσθήσεως τὰ ζῷα ἀποθνήσκειν· οὔτε γὰρ ταύτην ἔχειν οἷόν τε μὴ ζῷον οὔτε ζῷον ὂν ἄλλην ἔχειν ἀνάγκη πλὴν ταύτης.* In his verbis aliquid vitii inesse arbitror. Nam quum vv. *οὔτε γὰρ — ταύτης* manifesto spectent ad priorem enuntiati partem vel comprobandam vel explicandam, has duas sententias in iis contineri oportet: animalia tactu privata vivere non posse, alio autem sensu nullo ad vivendum egere. Id enim vv. *ἀνάγκη μόνης ταύτης στερισκόμενα ἀποθνήσκειν* aperte postulant. Et altera quidem sententia in verbis *οὔτε ζῷον ὂν — πλὴν ταύτης* re vera inest, alteram in priore membro *οὔτε γὰρ ταύτην ἔχειν οἷόν τε μὴ ζῷον* frustra quaesieris. Qua re nescio an Aristoteles scripserit *οὔτε γὰρ ταύτην οἷόν τε μὴ ἔχειν ζῷον.* Si hoc verum est, porro vv. *ζῷον ὄν* (vel *ζῷον*) e textu eicienda esse videntur, quae altera parte enuntiati corrupta ab aliquo emendatore addita esse suspicor, ne alterum membrum *οὔτε — ταύτης* subiecto careret. His opponat quispiam duas illas quas supra diximus sententias in vv. *οὔτε-ταύτης* inesse; nihil igitur esse, quod superiora verba ab inanimis ad animalia avocemus. Ita autem totum enuntiatum nescio quid omnino ad propositum afferat; quod si illam emendationem admiseris, aliquam certe vim habet ad explicanda ea, quae supra brevius significata sunt; sin autem in librorum auctoritate acquieveris, prorsus supervacaneum videtur, quum alterum membrum, quod ad inanima pertineat, a sententiarum nexu plane alienum sit, alterum, quae supra dicta sunt, eadem sermonis brevitate repetat.

De somno et vigilia 1 p. 454^a, 2.

Somnum et vigiliam ad unam eandemque animalis partem pertinere ex eo colligas, quod inter se contraria sunt (ut *ἕξις* et *στέρησις*). Quaecumque enim sunt talia, eidem semper substrato inhaerent et eiusdem subiecti sunt affectiones ut sanitas et morbus, robur et infirmitas, visus et caecitas: *ἔτι δὲ* inquit p. 453 ^{b}31 *καὶ ἐκ τῶνδε δῆλον. ᾧ γὰρ τὸν ἐγρηγορότα γνωρίζομεν, τούτῳ καὶ τὸν ὑπνοῦντα. τὸν γὰρ αἰσθανόμενον ἐγρηγορέναι νομίζομεν καὶ τὸν ἐγρηγορότα πάντα ἢ τῶν ἔξωθέν τινος αἰσθάνεσθαι ἢ τῶν ἐν αὐτῷ κινήσεων. εἰ τοίνυν τὸ ἐγρηγορέναι ἐν μηδενὶ ἄλλῳ ἐστὶν ἢ τῷ αἰσθάνεσθαι, δῆλον ὅτι ᾧπερ αἰσθάνεται, τούτῳ καὶ ἐγρήγορε τὰ ἐγρηγορότα καὶ καθεύδει τὰ καθεύδοντα.* Hanc argumentationem vitiosam esse facile intellegitur; nam si ad particulam *γάρ* 454^a 2 respicias, vv. *τὸν γὰρ αἰσθανόμενον — κινήσεων* eo pertinere existimandum est, ut somnum eadem ex re qua vigiliam [1]) cognosci demonstretur. Atqui somni nulla ratione habita exponitur tantummodo, qua in re cernatur vigilia. Ergo aut post *κινήσεων* ^{a}4 nonnulla verba, quibus Aristoteles ad eum quem dixi modum de somno dissereret, intercidisse statuendum est [2]) aut, id quod ego malim, 454 ^{a}2 scribendum *τὸν δ' αἰσθανόμενον.* Jam omnia bene inter se cohaerent [3]). Haec enim Aristoteles dicit: somnum

---

in terram cadat. — Cf. de sensu et sens. 4 p. 441 b11, de gen. et corr. II, 3, 331 ^{a}4. — *ἑνὸς ἕκαστόν ἐστιν, γῆ μὲν ξηροῦ μᾶλλον ἢ ψυχροῦ, ὕδωρ δὲ ψυχροῦ μᾶλλον ἢ ὑγροῦ, ἀὴρ δ' ὑγροῦ μᾶλλον ἢ θερμοῦ.* — Ceterum hunc locum si respicias, phys. III, 5 p. 204 ^{b}27 *ὁ μὲν ἀὴρ ὑγρός* (codd. *ψυχρός*) *τὸ δ' ὕδωρ ψυχρόν* (codd. *ὑγρόν*) scriptum fuisse conicias.

1) Nimirum Arist. sic existimat vigiliam sensuum actu, somnum eiusdem actus absentia vel privatione cerni.

2) Cf. Them. fol. 99^b, qui haec addit: *καὶ ὑπνώττοντα δ' αὖ λέγομεν τὸν μήτε τῶν ἐξωτερικῶν τινὰ ἐνεργοῦντα κινήσεων μήτε τῶν ἔνδοθεν.* Ex his tamen de ipsis Aristotelis verbis nihil certi colligi potest.

3) Quamquam fatendum est argumentationem paulo longius procedere quam Aristoteles ipse supra professus est; cf. 453 ^{b}24 *φανερὸν ὅτι τῷ αὐτῷ τοῦ ζῴου ὑπάρχει ἥ τε ἐγρήγορσις καὶ ὁ ὕπνος.* Etenim non solum demonstratur somnum et vigiliam eidem parti animae inhaerere sed etiam quae sit illa pars ostenditur.

ex eadem re, qua vigiliam, cognoscimus. Iam qui sentit, eundem vigilare et rursus eum, qui vigilat, aut externi aliquid aut intestini motus sentire arbitramur. Quod si vigilia in sentiendo consistit, omnia quae vigilant et quae dormiunt eadem parte qua sentiant et vigilare et dormire dicendum est. — Somni igitur indicia perinde ac vigiliae e sensuum actu petenda esse non demonstratur sed pro certo et explorato sumitur; atque eius rei idcirco fit mentio, ut quod e propositione τὸν δ' αἰσθανόμενον — κινήσεων de vigilia colligitur (ᾧπερ αἰσθάνεται, τούτῳ ἐγρήγορε τὰ ἐγρηγορότα), idem ad somnum pertinere appareat.

De insomniis 2 p. 459 b18 sqq.

Sensoria (τὰ αἰσθητήρια) ait Aristoteles affectiones e rebus sensibilibus conceptas tum quoque aliquamdiu retinere, quum ipse sentiendi actus desierit. Cuius rei hanc esse causam, quod sensoria, quum primum re sensili commota atque incitata sint, hanc affectionem per se ipsa a superficie ad interiores suas partes traducere et propagare possint. Manifesto illud apparere quum solem continenter intuiti inde ad umbram oculos convertamus, (evenire enim, ut nihil omnino videamus, quod motus a lumine natus in oculis resideat), itemque quum unum quendam colorem diutius adspexerimus; nam quocunque obtutum oculorum avertamus, ubique nos hunc ipsum colorem cernere. Eodem illud pertinere, quod quum in sole oculos fixerimus, coniventibus nobis idem qui videntibus splendor obversetur, qui deinceps in puniceum et purpureum colorem, postremo in nigrum abeat et prorsus exstinguatur: καὶ αἱ ἀπὸ τῶν κινουμένων δέ, inquit b18, μεταβάλλουσιν οἷον ἀπὸ τῶν ποταμῶν, μάλιστα δ' ἀπὸ τῶν τάχιστα ῥεόντων· φαίνεται γὰρ τὰ ἠρεμοῦντα κινούμενα. Haec verba neque ex se ipsis intellegi possunt, neque quicquam invenio unde commode possint suppleri. Nam ut perspicua sententia exsistat b18 αἱ ὄψεις audiendum est et b19 μένουσιν vel tale aliquid addendum[1]); quae quomodo ex superioribus verbis eliciam, non video. Quam ob rem v. αἱ b18 e textu eiciendum censeo; deinde nescio an v. γὰρ b20 et punctum, quod est post ῥεόντων, delendum sit, ut una ex illis verbis enuntiatio efficiatur, cuius haec sententia sit; item siquis ab iis, quae moventur, ut a fluviis adspectum alio converterit, ei, quaecunque stant, videntur moveri. Quamquam de particula γὰρ nihil pro certo dicere audeo; nam voce αἱ sublata prius membrum fortasse ad hunc modum supplendum est καὶ ἀπὸ ... μεταβάλλουσιν τοιοῦτον φαίνεται ἐφ' ὅπερ ἂν τὴν ὄψιν μεταβάλωμεν; quae verba licet longe repetenda sint (a12 cf. a16), certe tamen in superioribus continentur. Deinde b20 Aristoteles haec subicit: γίνονται δὲ καὶ ἀπὸ τῶν μεγάλων ψόφων δύσκωφοι καὶ ἀπὸ τῶν ἰσχυρῶν ὀσμῶν δύσοσμοι καὶ ἐπὶ τῶν ὁμοίων. Hic quid sibi velint vv. καὶ — ὁμοίων non intellego; neque enim quomodo cum superioribus coniungenda sint nec quae sint illa ὅμοια satis apertum est. Cod. E omisso καὶ ἐπὶ habet δύσοσμοι τῶν ὁμοίων, quod idem invenimus apud Themistium fol. 103. At ne id quidem videtur probandum esse; quoniam olfactus acribus odoribus ita afficitur, ut non solum ad similes odores percipiendos minus valeat sed in universum hebescat. Quae quum ita sint, Aristotelem suspicor scripsisse ... καὶ ἀπὸ τῶν ἰσχυρῶν ὀσμῶν δύσοσμοι καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων ὁμοίως (int. αἰσθητῶν) i. e. reliqui item sensus, si qua re gravius afficiuntur, hebetiores fiunt.

---

1) Μεταβάλλουσιν est dativus participii; quod fugit Themistium, qui fol. 103 haec verba ita reddit: καὶ ἀπὸ τῶν κινουμένων δὲ τὰ ὄμματα μεταβάλλει οἷον ἀπὸ ποταμῶν.

De insomniis 3 p. 461. b21 sqq.

Somnia docet Aristoteles contineri iis motibus vel affectionibus, quae ex diurnis sensuum actionibus in sensoriis resideant. Hos enim motus sentiendi et cogitandi perpetuitate interdiu oppressos atque obrutos noctu sensuum et mentis actu intermisso rursus emergere et calore ab exteris partibus introrsum manante ad principium sentiendi (*τὴν καρδίαν*) delatos rerum sensibilium, unde orti sint, simulacra quodammodo renovare. Iam quum superior illa vis animi, qua sensuum perceptiones ab ipsa rerum veritate diiudicemus, per somnum quiescat, evenire, ut simulacra illa pro ipsis rebus habeamus. De ea re Aristoteles p. 461 b21 *τούτων δὲ*, inquit, (int. *τῶν κινήσεων*) *ἕκαστόν ἐστιν ὥσπερ εἴρηται ὑπόλειμμα τοῦ ἐν τῇ ἐνεργείᾳ αἰσθήματος καὶ ἀπελθόντος τοῦ αἰσθήματος τοῦ ἀληθοῦς ἔνεστι, καὶ ἀληθὲς εἰπεῖν, ὅτι τοιοῦτον οἷον Κορίσκος ἀλλ' οὐ Κορίσκος. ὅτε δ' ᾐσθάνετο οὐκ ἔλεγε Κορίσκον τὸ κύριον καὶ τὸ ἐπικρῖνον ἀλλὰ διὰ τοῦτο ἐκεῖνον Κορίσκον τὸν ἀληθινόν. οὗ δὴ καὶ αἰσθανόμενον λέγει τοῦτο, ἐὰν μὴ παντελῶς κατέχηται ὑπὸ τοῦ αἵματος, ὥσπερ μὴ αἰσθανόμενον τοῦτο, κινεῖται ὑπὸ τῶν κινήσεων τῶν ἐν τοῖς αἰσθητηρίοις. καὶ δοκεῖ τὸ ὅμοιον αὐτὸ εἶναι ἀληθές.* — Vv. *οὗ δὴ* — *αἰσθητηρίοις* tam perplexa et male conformata sunt, ut, quid philosophus dicere velit, coniectura tantum assequi possis. Fortasse haec ita scripsit: *ὡς*[1]) *δὴ καὶ αἰσθανόμενον λέγει τοῦτο. ἐὰν δὲ παντελῶς κατέχηται ὑπὸ τοῦ αἵματος,*[2]) *ὥσπερ μὴ αἰσθανόμενον τοῦτο κινεῖται . . . αἰσθητηρίοις.* Quod si verum est, Aristoteles in hanc sententiam disputat: quum sensibus aliquid percipimus, superior illa vis et facultas animae, quae sensibus subest (*τὸ κύριον καὶ τὸ ἐπικρῖνον*), rem ipsam sensibilem a sensuum perceptione discernit. Scilicet in hac re ipsius sensus consistit (*ὡς δὴ καὶ αἰσθανόμενον* — utpote sentiens — *λέγει τοῦτο*). Per somnum autem quum sanguine prorsus obruta est, tamquam suo sensu destituta residuis tantummodo sensoriorum motibus incitatur; qua re evenit, ut rerum simulacra inde orta ipsas esse res opinetur.

De divinatione per somn. 2 p. 464 b15.

Somniorum, inquit Aristoteles, interpres est artificiosissimus, qui (vel exiguas) similitudines acriter perspicit. Somnia enim licet comparare cum illis rerum simulacris, quae in aqua apparent; quae maiore aquae motu ita conturbantur et diffluunt, ut rerum similitudo aut valde imminuatur aut prorsus evanescat. Haec igitur optime diiudicabit is, qui in distortis quoque imaginibus ipsarum rerum notas deprehendere potest: b15 *κἀκεῖ δὴ ὁμοίως τι δύναται τὸ ἐνύπνιον τοῦτο· ἡ γὰρ κίνησις ἐκκόπτει τὴν εὐθυονειρίαν.* Vv. *κἀκεῖ* — *τοῦτο* a proposito esse alienissima neque ullo modo cum superioribus cohaerere ex his, quae supra exposui, facile apparet. Ipsa enim res et sententiarum nexus (*ὁμοίως*) postulat, ut illis verbis doceatur somnia perinde atque illa simulacra eum optime posse interpretari, qui conturbatas rerum similitudines acerrime percipiat. Haec sententia ut restituatur, b15 *τί* et *τούτου* scribendum et b16 ex optimo codice *γὰρ ἡ* revocandum esse censeo. Haec enim Aristoteles scripsit: *κἀκεῖ δὴ ὁμοίως, τί δύναται τὸ ἐνύπνιον* (int. *δεινὸς κρίνειν εἴη ἂν ὁ δυνάμενος ταχὺ διαισθάνεσθαι* — *εἰδώλων*). *τούτου γὰρ ἡ κίνησις ἐκκόπτει τὴν εὐθυονειρίαν* i. e. itemque illic, quid valeat somnium, (is quem dixi optime diiudicabit); huius enim motu tollitur perspicuitas.

---

1) Quattuor codices, in his E, habent *ᾧ δή*.

2) Cf. b11 *ὅταν γὰρ καθεύδῃ, κατιόντος τοῦ πλείστου αἵματος ἐπὶ τὴν ἀρχὴν συγκατέρχονται αἱ ἐνοῦσαι κινήσεις.*

2

Phys. V, 4. 228 a9.

Unum esse motum (et mutationem) ait Aristoteles, si et specie unus sit et unius rei et tempore continuus. Quam ob rem nec si duo homines eodem tempore, nec si unus identidem ex aequali morbo convaluerit, hanc unam eandemque ὑγίανσιν putandam esse. — Atque ipsius valetudinis, inquit b7, eandem esse rationem dixeris. Quum enim perpetuo muteris et hodie alius sis atque heri fuisti, hodiernam et hesternam valetudinem tuam, quippe quae duorum sit, non unam esse numero sed duas existimes. Nam si una est, quidni etiam, si quis amissam valetudinem interiecto temporis spatio receperit, eam, qua ante usus est et qua nunc utitur, unam esse numero putemus: ὁ αὐτὸς γὰρ λόγος· πλὴν τοσοῦτον διαφέρει, ὅτι εἰ μὲν δύο, τὸ αὐτὸ τοῦτο (codd. EH et Simpl. δι' αὐτὸ τοῦτο, rec. Prantl) ὡς τῷ ἀριθμῷ μία (μία cum EH om. Prantl) καὶ τὰς ἕξεις ἀνάγκη· μία γὰρ ἀριθμῷ ἐνέργεια ἑνὸς ἀριθμῷ· εἰ δ' ἡ ἕξις μία, ἴσως οὐκ ἂν τῳ δόξειέ πω μία καὶ ἡ ἐνέργεια εἶναι· ὅταν γὰρ παύσηται βαδίζων οὐκέτι ἐστὶν ἡ βάδισις, πάλιν δὲ βαδίζοντος ἔσται· εἰ δ' οὖν μία καὶ ἡ αὐτή, ἐνδέχοιτ' ἂν τὸ αὐτὸ καὶ ἓν καὶ φθείρεσθαι καὶ εἶναι πολλάκις. Haec verba quo pertineant et quae sit summa sententiae, et ex iis quae antecedunt et ex altero oppositionis membro a15 εἰ δ' ἡ ἕξις μία — εἶναι intellegitur. Si una eademque est ἡ ἕωθεν καὶ νῦν ὑγίεια, inquit Aristoteles, quid obstat, quominus amissam valetudinem et post recuperatam unam esse statuamus? Interesse tamen in his rebus aliquid apparet. Nimirum si corpus ipsum, quod et hodie mane sanum vidisti et nunc vides, interim aliud esse factum et unum pro duobus habendum esse contendas (εἰ μὲν δύο int. ὑποκείμενα),[1]) duplicem etiam corporis habitum esse putandum est — μία γὰρ ἀριθμῷ ἐνέργεια ἑνὸς ἀριθμῷ — nec refert, utrum valetudo perpetuo ex illo tempore permanserit an morbo intercepta nunc ipsum redeat. At vero si uniuscuiusque corporis non alium atque alium sed unum semper eundemque esse habitum (ἕξιν) sumpseris, quo quum utatur, sanum appellandum sit, nequaquam sequitur, ut una etiam ἐνεργείᾳ valetudo sit. Quotiens enim in morbum incideris, ἐνεργείᾳ sanus non eris; rursus eris, quum convalueris. Quod si unam esse ἐνέργειαν contendas, efficitur, ut unum idemque saepe et sit et esse desinat; quod cogitari non potest. (Ex his intellegitur duas illas quaestiones, quae supra a7—12 proponuntur, nequaquam ita inter se coniunctas esse, ut in utraque idem necessario iudicandum sit; nam licet τὴν ἕωθεν καὶ νῦν ὑγίειαν unum modo habitum esse dicas, illud utique concedendum erit, si morbus intercesserit, duas ἐνεργείᾳ valetudines esse.) Iam de ipsis verbis dicendum est, quae tam obscura et perplexa sunt, ut interpretes in iis explicandis valde inter se dissentiant. Ac primum a13 (εἰ μὲν δύο) Simplicius non ὑποκείμενα sed ἕξεις audit; itemque Prantlius (symb. crit. in Arist. phys. auscult. p. 40) ὑποκείμενα intellegendum esse diserte negat „quum in altera iam periodi parte (εἰ δὴ a9 — εἴη a12) non de re ipsa, quae patiatur, sed de habitu tantum et actu sermo fuerit.“ At hoc, opinor, non obstat, quin verba sic accipiamus. Saepe enim, ut Aristotelem recte intellegamus, aut vox aliqua e longinquo arcessenda aut notio e sententiarum nexu petita ad ipsa verba addenda est. (V. Waitzium org. p. 64 b26, 68 b5.) Ac mallem sane ipse a13 δύο ὑγίειαι audire liceret — id enim magis in promptu est — sed repugnat v. ἕξεις in apodosi subiectum. Nempe duas valetudines Aristoteles aut ἕξεις aut ἐνεργείας intellegeret; at si ἕξεις significaret, idem bis diceret[2]),

1) Ita haec verba accipit Alexander apud Simpl. fol. 208.

2) Nisi forte a14 ἐνεργείας scribendum putamus, quam tamen parum probabilem esse coniecturam apparet.

sin ἐνεργείας, sibi ipsi contradiceret, quoniam infra statuit unius habitus posse plures ἐνεργείας esse. Quamobrem Prantlius, ut δύο ἐνεργείας intellegere liceat, (valetudinem enim amissam et post recuperatam significari putat) a 13 scribit εἴτε [1]), cui coniunctioni εἰ δ' οὖν a 17 respondere arbitratur, ut quaecunque sunt interposita parenthesis loco habenda sint. Haec tamen ratio duabus de causis videtur improbanda esse, quod illa disiunctione (εἴτε — εἰ δ' οὖν) et verborum structura turbatur [2]) et vv. εἰ δ' οὖν sqq. a proposito ita deflectunt, ut ne coniectura quidem assequi possis, quam differentiam Aristoteles significet. Quodsi in Alexandri interpretatione acquiescendum esse videtur [3]), porro quaerendum est, quid verbis a 14 μία γὰρ ἀριθμῷ ἐνέργεια ἑνὸς ἀριθμῷ faciamus; quae ab ea sententia, quacum artissime coniuncta sunt, prorsus aliena esse patet. Nam quum Aristoteles dicit duorum corporum necessario duos esse numero habitus (εἰ μὲν δύο, δι' αὐτὸ τοῦτο ὡς τῷ ἀριθμῷ καὶ τὰς ἕξεις (int. δύο) ἀνάγκη, ita enim Prantlius ex optimis libris EH verba recte restituit), huius rei non potest ea ratio afferri, quod μία ἐνέργεια sit ἑνός, sed haec verba ad ipsam ἕξεως notionem pertinere necesse est. Quamobrem μία γὰρ ἀριθμῷ ὑγίεια scribendum esse censeo; ὑγιείας enim nomen in hoc sententiarum nexu per se ipsum satis dilucide τὴν ἕξιν significat. Deinde a 18 quum omnes libri habeant μία καὶ ἡ αὐτή, ego quidem μία καὶ αὕτη (int. ἡ ἐνέργεια) scriptum malim, quod oppositionis vis et ratio videtur requirere. Id autem quum minoris momenti sit, attigisse satis habeo.

Phys. VIII, 4, 255 a 35.

Quamquam in universum apparet omnia, quae motum habent, aut se ipsa movere aut aliunde motum accipere, tamen propria motus causa non ubique aeque perspicua esse videtur. Ac facillime quidem ea cognoscitur in iis, quae praeter naturam moventur, (ut saxum vecte attollitur, quum naturali sua gravitate deorsum tendat). Porro in iis, quae se ipsa movent, aliud esse patet, quod moveat, aliud, quod moveatur; sed haec quum prorsus in unum coaluerint, plane et subtiliter discernere in promptu non est. Maxime autem dubitet aliquis, quid naturalem inanimorum corporum motum efficiat; certa enim lege naturae levia, quae dicimus, corpora sursum ferri, gravia deorsum videmus. Hoc ut recte intellegatur, ab ipsa notione levitatis (in hac enim liceat acquiescere) proficiscendum est. Leve igitur dicimus, quod natura tale est, ut locum superiorem teneat. Quodsi haec levitatis est ἐνέργεια, illum, quem supra diximus, motum (τὸ ἄνω κινεῖσθαι) transitum esse τοῦ δυνάμει κούφου ad perfectionem et ἐνέργειαν apparet. Quaecunque igitur vis hunc transitum efficit, eadem motus causa esse recte dicetur. Δυνάμεως autem duplex quasi gradus est. Etenim non solum ea, quae aliqua naturae suae mutatione levia fieri possunt, δυνάμει κοῦφα dicuntur (veluti aquam, quae reapse gravis est, δυνάμει levem dicimus, quatenus in aëra potest mutari), sed etiam ad ea, quae levia iam facta sunt et suapte natura sursum tendunt, si quid extrinsecus obstat, quominus moveantur, eadem τοῦ δυνάμει κούφου significatio pertinet. Atque haec, siqua vis ea quae obstant removerit, extemplo impetu suo ferri necesse

1) Aristoteles acht Bücher Physik, Griechisch und Deutsch.

2) Quod ex ipsa Prantlii interpretatione Germanica apparet: Nur in soweit macht es einen Unterschied, ob nämlich einerseits, wenn jene als zwei gelten, eben deswegen nothwendig auch das Sichverhalten der Zahl nach dies sein müsse — — wenn aber andrerseits demnach jene als eine und die nämliche Gesundheit gelten, so müsste es möglich sein dass ein und das nämliche Ding oftmals sowohl vergeht als auch wieder existirt.

3) Simplicius et Themistius etsi, quid Aristoteles velit, in universum recte exponunt, tamen in illustrandis verbis ita versantur, ut non tam quae ab illo scripta sunt explicent, quam quod ipsis placet affingant.

est. Ergo illud, quod motui quasi viam patefacit, *κατὰ συμβεβηκός* movere dicemus: verum autem et proprium motus principium in ipsa rei (*τοῦ κούφου*) natura inesse putandum est, aut si altius repetere volumus, dicendum est motus eandem quam ipsius levitatis causam esse. — Duplicem illam *δυνάμεως* significationem Aristoteles p. 255 a30 sqq. his verbis exponit: *ἐπεὶ δὲ τὸ δυνάμει πλεοναχῶς λέγεται, τοῦτ' αἴτιον τοῦ μὴ φανερὸν εἶναι ὑπὸ τίνος τὰ τοιαῦτα κινεῖται, οἷον τὸ πῦρ ἄνω καὶ ἡ γῆ κάτω. ἔστι δὲ δυνάμει ἄλλως ὁ μανθάνων ἐπιστήμων καὶ ὁ ἔχων ἤδη καὶ μὴ θεωρῶν. ἀεὶ δ' ὅταν ἅμα τὸ ποιητικὸν καὶ τὸ παθητικὸν ὦσι, γίνεται ἐνίοτε ἐνεργείᾳ τὸ δυνατόν, οἷον τὸ μανθάνον ἐκ δυνάμει ὄντος ἕτερον γίνεται δυνάμει· ὁ γὰρ ἔχων ἐπιστήμην μὴ θεωρῶν δὲ δυνάμει ἐστὶν ἐπιστήμων πως, ἀλλ' οὐχ ὡς καὶ πρὶν μαθεῖν, ὅταν δ' οὕτως ἔχῃ, ἐάν τι μὴ κωλύῃ, ἐνεργεῖ καὶ θεωρεῖ, ἢ ἔσται ἐν τῇ ἀντιφάσει καὶ ἀγνοίᾳ· ὁμοίως δὲ ταῦτ' ἔχει καὶ ἐπὶ τῶν φυσικῶν· τὸ γὰρ ψυχρὸν δυνάμει θερμόν, ὅταν δὲ μεταβάλῃ, ἤδη πῦρ, καίει δέ, ἂν μή τι κωλύῃ καὶ ἐμποδίζῃ.*

Vv. *ἀεὶ δ' ὅταν — δυνατόν* intellectu carent, quoniam *ἀεὶ* et *ἐνίοτε* manifesto inter se repugnant. *Ἐνίοτε* in nonnullis libris [1]) scriptum negat Alexander apud Simpl. fol. 281 b. Id autem nescio an in emendatorem quendam conferendum sit. Certe quidem, si quis verbis subvenire voluit, haec expeditissima erat ratio, ut *ἐνίοτε* eiceret. At si Simplicius recte iudicat, sententia ipsa hoc verbum necessario requirit. Cuius auctoritate ipse adductus cum *ἐνίοτε* retinendum putarem, nuper (in progr. gymnas. Gryphiswald. 1871 p. 6) verbis *ἀεὶ* a34 et *δὲ* b5 in *εἰ* et *δὴ* mutatis et vv. *οἷον* b1 — *ἀγνοίᾳ* b5 parenthesis loco habitis apodosin a v. *ὁμοίως* orsus sum; quam tamen mutationem ne dicam emendationem iam intellego nec verborum structura nec sententiarum nexu commendari. Itaque rursus videndum est, quomodo sententiae inter se cohaereant. — Primum igitur Aristoteles duplicem esse *δύναμιν* ostendit: aliter enim, ait, *δυνάμει ἐπιστήμων* est is, qui discit (vel qui natura sua et indole talis est, ut scire et cognoscere possit), aliter is, qui scientia iam instructus nihil forte per eam agit (*μὴ θεωρῶν*). Iam qui alteram illam *δύναμιν* habet, ubi *τὸ ποιητικόν* (disciplina) ei subvenerit, superiorem *δυνάμεως* gradum (scientiam) assequetur; quo quum pervenerit, nisi forte ad agendum impedietur, iam *ἐνεργείᾳ ἐπιστήμων* exsistet. — In hunc sententiarum ordinem vv. *ἀεὶ — δυνατόν* ita inserta sunt, ut, quae v. b1 sqq. disputantur, ad haec explicanda pertineant. Eadem igitur his verbis brevius significari opineris. Atqui diversa vi *δυνάμεως* prorsus omissa simpliciter ostenditur a potentia transitum fieri ad *ἐνέργειαν*. Quamobrem nescio an Aristoteles scripserit *γίνεται ἔγγιον τοῦ ἐνεργεῖν τὸ δυνατόν*. Sic enim ea, quae infra uberius disputantur, in his verbis quodammodo insunt. Quod vero Simplicius verbo *ἐνίοτε* opus esse contendit, id sane verum est, si a35 *ἐνεργείᾳ* legimus; neque enim semper fit, ut *τὸ δυνατόν* continuo ad ipsam *ἐνέργειαν* procedat; in hanc autem sententiam, quae verbis mutatis exsistit, argumenta ab eo allata non conveniunt. Haec igitur Aristotelem dicere arbitror: Semper, quum simul est, quod agat et quod patiatur (i. e. quum alterum in altero vim suam exercet), propius ad actum accedit *τὸ δυνατόν*; ad alteram enim *δύναμιν* progreditur, unde, nisi quid obstat, extemplo ad ipsum actum transit. Cf. de gener. animal. II, 1. 735 a9 *ἐγγυτέρω καὶ πορρωτέρω αὐτὸ αὑτοῦ ἐνδέχεται εἶναι δυνάμει, ὥσπερ ὁ καθεύδων γεωμέτρης τοῦ ἐγρηγορότος πορρωτέρω καὶ οὗτος τοῦ θεωροῦντος.* [2])

---

1) Om. codd. Bekk. J et pr. F.

2) Ceterum cum tota hac disputatione cf. de an. II, 5.

Anal. post. I, 5, p. 74 a16.

Fallimur saepe, quod universalem esse demonstrationem putamus, quae re vera latius patet quam ipsi posuimus. Hoc accidit primum, si quid de rebus singularibus ut de sole et terra comprobamus (ὅταν μηδὲν ᾖ λαβεῖν ἀνώτερον παρὰ τὸ καθ᾽ ἕκαστον); nam quum omnis demonstratio in notionibus versetur, quae suapte natura sunt universales, de illis nihil demonstrari poterit, quod non idem, si qua alia eiusmodi esse fingamus, ad haec omnia pertineat. Deinde si ad unum quoddam genus referimus id, quod ad res genere diversas pertinet; quod facile evenit, si communem illam, quae his omnibus subest, notionem, quo demonstratio proprie referenda erat, uno nomine complecti non licet; velut proportionis membra inter se converti de lineis numeris corporibus temporibus separatim demonstramus (74 a17 sqq.), nimirum, quod communis notio, quo illa demonstratio πρώτως pertinet,[1]) uno nomine comprehendi non potest. Denique si id, quod ad universum quoddam genus revocandum est, de una parte (specie) demonstramus. Nam licet de ea parte universalis demonstratio fiat, non tamen est τούτου πρώτου καθόλου. Quare si duas rectas lineas, quum tertia in eas incidens rectos cum iis angulos efficit, παραλλήλους esse comprobamus (a13), haec demonstratio quamquam in quaslibet duas lineas, quarum haec est ratio, aeque valet, tamen re vera universalis non erit, siquidem non ex eo, quod anguli duo interiores recti sunt, sed ex eo, quod duobus rectis sunt aequales, παραλλήλους esse lineas demonstrandum est[2]): καὶ εἰ τρίγωνον μὴ ἦν ἄλλο ἢ ἰσοσκελές, ᾗ ἰσοσκελὲς ἂν ἐδόκει ὑπάρχειν. Haec verba (a16) dubito num ab Aristotele scripta sint. Primum enim, quum eiusdem erroris, de quo supra dictum est, alterum exemplum afferatur — aliter enim ea verba accipere non licet — res ipsa videtur postulare, ut exponatur falso de triangulo aequilatero, quatenus tale est, aliquid demonstrari, quod ad unumquodque triangulum pertineat. At vero scriptum videmus, si nulla alia trianguli esset species praeter aequilaterum, futurum esse, ut τὸ δύο ὀρθαῖς ἴσας ἔχειν ad ipsam τοῦ ἰσοσκελοῦς naturam revocaretur. Quae verba etsi talia sunt, ut illa sententia facile ex iis elici possit, merito tamen opineris philosophum, si hoc exemplo usus esset, id ipsum, quo proprie pertineret, (errorem dico in demonstrando admissum) disertis verbis enuntiaturum fuisse: οὐκ ἔσται τούτου πρώτου καθόλου ἀπόδειξις, εἴπερ μὴ ᾗ ἰσοσκελὲς ἀλλ᾽ ᾗ τρίγωνον ὑπάρχει τὸ δύο ὀρθαῖς ἴσας ἔχειν τὰς γωνίας. Accedit, quod in ipsa sententia aliquid vitii inest. Quid enim attinet fingere nullum aliud triangulum esse nisi aequilaterum, si id unum ex eo colligitur, quod in apodosi invenimus ᾗ ἰσοσκελὲς ἂν ἐδόκει ὑπάρχειν? Idem enim nunc quoque opinetur aliquis, quum plures sint triangulorum species. Immo aut in apodosi requiritur ᾗ ἰσοσκελὲς ἂν ὑπῆρχεν (ὥστε τούτου πρώτου ἂν ἦν ἡ ἀπόδειξις) — id enim proprie sequitur, si omne triangulum aequilaterum esse fingimus — aut in protasi scribendum erat εἰ τρίγωνον μὴ ἦν ἄλλο δῆλον ἡμῖν. His causis adducor, ut alienum illud additamentum esse existimem. — Ceterum trianguli aequilateri exemplum ex iis, quae ab ipso Aristotele infra (a25 sqq.) uberius disputantur, petitum est. (Cf. etiam c. 24 p. 85 b5 sqq.).

---

1) Significat eam notionem, quam nos dicimus Groesse.

2) Ita omnes, quod sciam, interpretes verba εἴπερ μὴ — ἴσαι a15 accipiunt. Quam interpretationem etsi plane repudiare non audeo, tamen quum in textu unam aequalitatis notionem inveniamus, nescio an melius sit eos angulos intellegere, qui duabus illis rectis ab eadem parte adiacentes inter se aequales sunt. Quod si verum est vel ex hoc ipso conicias ea quae sequuntur tollenda esse; nihil enim in contextu est, unde haec verba commode possint suppleri.

Analyt. post. I, 10 p. 76 ᵇ33.

Exponitur, quid inter hypothesin et postulatum (αἴτημα) intersit. Quum sine demonstratione aliquid sumimus, quod demonstrari potest, hoc si eius, cum quo agimus, opinioni congruit, per hypothesin sumere, sin ille nullam adhuc vel diversam de ea re opinionem habuit, postulare (αἰτεῖσθαι) dicimur: καὶ τούτῳ διαφέρει ὑπόθεσις καὶ αἴτημα· ἔστι γὰρ αἴτημα τὸ ὑπεναντίον τοῦ μανθάνοντος τῇ δόξῃ ἢ ὃ ἄν τις ἀποδεικτὸν ὂν λαμβάνῃ καὶ χρῆται μὴ δείξας. Haec verba id quod ὑποθέσεως et αἰτήματος commune esse vidimus (ὃ ἄν τις — δείξας) falso ad unum αἴτημα revocant. Eiecta autem particula ἤ, quae post δόξῃ facile in textum irrepere poterat, omnia se recte habent. Scilicet his verbis non repetitur definitio τοῦ αἰτήματος — haec enim, ut videmus, latius patet — sed qua re maxime postulatum ab hypothesi differat, ostenditur.

Anal. post. II, 3 p. 91 ᵃ7 sqq.

Quaeritur, num idem, quod per definitionem cognoscatur, demonstrari possit. Qua de re primo p. 90ᵇ 3—27 ita disputatur, ut neque earum rerum omnium, quae demonstrentur, definitionem esse nec rursus ea, quae definiantur, omnia posse demonstrari appareat. At si non omnia, inquit ᵇ28, fortasse tamen nonnulla esse talia dixeris, quae demonstrari eademque definitione comprehendi possint. Sed ne id quidem verum est. Primum enim definitionis vis et ratio in rerum essentia indaganda et explananda consistit; in demonstratione autem, quid sit res, non exploratur, sed pro certo et explorato sumitur. Deinde quidquid de aliqua re demonstratur, notione ab ea differt; quae autem in definitione enuntiantur, ipsam rei notionem conficiunt. Denique in universum patet aliud esse, quod definiendo explanetur (τί ἐστι), aliud quod demonstretur (ὅτι ἐστί). Quamobrem ipsam quoque definitionem et demonstrationem ita inter se differre [1]) necesse est, ut promiscue ad unam eandemque rem adhiberi nullo modo possint; nisi forte τοῦ τί ἐστι καὶ ὅτι ἐστί eam esse rationem existimamus, ut alterum in altero tamquam pars in toto contineatur. (Quod si ita esset, eadem sane esset ἀπόδειξις, veluti quidquid de triangulo in universum demonstratur, idem ad triangulum aequilaterum pertinet). Id autem falsum esse apparet. Deinde p. 91 ᵃ7—11 haec invenimus φανερὸν ἄρα, ὅτι οὔτε οὗ ὁρισμός, τούτου παντὸς ἀπόδειξις, οὔτε οὗ ἀπόδειξις, τούτου παντὸς ὁρισμός· ὥστε ὅλως τοῦ αὐτοῦ οὐδενὸς ἐνδέχεται ἄμφω ἔχειν. ὥστε δῆλον ὡς οὐδὲ ὁρισμὸς καὶ ἀπόδειξις οὔτε τὸ αὐτὸ ἂν εἴη οὔτε θάτερον ἐν θατέρῳ· καὶ γὰρ ἂν τὰ ὑποκείμενα ὁμοίως εἶχεν. Hic primum in verbis φανερὸν — ὁρισμός offendo; quae si p. 90 ᵇ27 adiecta essent, optime se haberent, quoniam superioris disputationis argumentum continent; hoc autem loco prorsus aliena sunt, quum longius interea progressa sit disputatio atque eo iam pervenerit, ut nihil omnino esse pateat, quod demonstrari itemque per definitionem sciri possit. Deinde in vv. ὥστε ὅλως — ἔχειν falsa inest conclusio. Nam si neque demonstrari possunt omnia, quae definiuntur, neque definiri omnia, quae demonstrantur, num idcirco sequitur, ut nihil sit, quod et definitionem et demonstrationem admittat? Quae quum ita sint, erunt fortasse, qui ᵃ7, 8 cod. D lectionem πάντως recipiendam esse coniciant; sed quae illo loco requiritur sententia (nihil omnino esse, quod demonstrari idemque definiri possit), ea ne sic quidem apte et perspicue exprimitur. Fac autem eam sententiam re vera in verbis ὅτι οὔτε οὗ ὁρισμός τούτου πάντως ἀπόδειξις inesse; iam alterum

---

1) Hoc argumentum quid sibi velit, non satis intellego. Nam si definitionem a demonstratione differre ex eo colligitur, quod ea ipsa, quo pertinent, ita inter se diversa sint, ut una eademque ratione sciri non possint, id ipsum, quod demonstrandum erat, οὐκ ἔστιν ἀπόδειξις οὗ ὁρισμός praesumptum esse videtur.

enuntiationis membrum (οὔτε — ὁρισμός) plane supervacaneum est, quoniam manifesto in priore continetur. Ac si quis in hac re minus offendat, certe tamen ea membra non erant ita coniungenda, quasi de diversis rebus ageretur. Equidem vv. φανερὸν ἄρα ..... ἔχειν a7—9, omnia delenda esse censeo, quippe quae alieni additamenti speciem aperte prae se ferant [1]). Quamquam sic quoque aliquid dubitationis relinquitur; non enim video, quomodo is, qui ea conscripsit, duas quas dixi sententias particula ὥστε coniungere potuerit. At fortasse scripsit οὔτε. — Ceterum verba illa salvo sententiarum nexu eici posse non est, quod exponam.

Anal. post. II, 17, 99 b2.

Si quid rebus specie diversis commune est, non sequitur, ut ad communem aliquam causam revocandum sit, sed in alia specie alia potest eius rei causa esse. Quod si ita est, efficitur idem in alia specie per alium terminum medium demonstrandum esse. — Hoc Aristoteles in universum sic exponit. Si A omni B recte attribuitur itemque B omni D, sequitur, ut de omni D praedicandum sit A eiusque rei causa in termino medio B sita est. Ergo A latius patere necesse est quam B; aliter enim non minus recte, quam DA per terminum medium B, DB per terminum medium A demonstraretur. Iam si latius patet A quam B, nihil obstat, quin aliquod esse genus E sumamus, de quo omni recte praedicetur A, B autem praedicari omnino non possit. Itaque EA per terminum medium B concludi non potest. Atqui certe omnibus E communis aliqua causa suberit, cur unicuique E tribuendum sit A; id enim necessario sequitur, siquidem A de omni E praedicandum esse sumimus. Erit igitur alter terminus medius C, isque a termino B omni ex parte diversus. — Haec quidem omnia satis aperta sunt; uno tamen loco in verbis philosophi inest aliquid difficultatis, quod interpretando tolli non possit: p. 99 b1 διὰ τί γὰρ οὐκ ἔσται τι αἴτιον (int. τοῖς E) οἷον τὸ A ὑπάρχει πᾶσι τοῖς Δ. Quod enim altera parte enuntiati (οἷον — τοῖς Δ) dicitur de omni D praedicandum esse A, hoc a proposito est alienissimum, quoniam hoc loco (διὰ τί γὰρ οὐκ ἔσται τι αἴτιον) non de conclusione per terminum medium facta sed de ipso termino medio agitur. Bene autem se res habebit, si legimus οἷον τοῦ A (int. αἴτιον) vel οἷον τὸ B ὑπάρχει πᾶσι τοῖς Δ.

De soph. elench. 10 p. 170 b24.

Sunt qui refutandi duo esse genera statuant, quorum alterum ad verba adversarii, alterum ad sententiam pertineat. At haec differentia non in ipsa argumentandi ratione sed in eo, contra quem disputatur, posita est. Nam si hic, quae interrogatus concessit, aliter accepit atque is, qui eum interrogavit, num concederet, alter quum contra ea ita disputat, ut sententiam tantummodo a semet ipso subiectam spectet, πρὸς τοὔνομα disputare dicitur; sin autem, quae concessa sunt, ab utroque in eandem sententiam accipiuntur, idem quum ea refellere conatur, πρὸς τὴν διάνοιαν disputat. Quodsi uterque vocem aliquam, quae re vera ambigua est, simplicem habere vim et significationem existimat, is qui ἔλεγχον facit, quum hac voce in argumentando utitur, recte dicetur et contra verba et contra sententiam adversarii disputare. (Quum enim in redarguendo adversario eam modo quam ipse huic verbo subicit sententiam respiciat, πρὸς τοὔνομα ἔσται διειλεγμένος: rursus quum alter hoc verbum re vera in eandem, atque ipse, sententiam accipiat, πρὸς τὴν διάνοιαν eum disputare dixeris). Ex his ipsis,

---

1) Nimirum is, qui haec scripsit, summam totius disputationis paucis verbis complecti voluit.

quae exposui, apparet p. 170 b24 scribendum esse *πρὸς τοὔνομα ἔσται καὶ πρὸς τὴν διάνοιαν τοῦ ἐρωτωμένου διειλεγμένος.*

De soph. elench. 31 p. 181 b39.

Relatas, quas dicunt, notiones (*πρός τι*) per se ipsas aut omnino quicquam significare negandum est, aut certe non concedendum eandem vim habere, ac si in disputando cum ea notione, quo proprie sint referenda, coniungantur. Item si qua sunt talia, ut definiri omnino non possint nisi adhibita notione substrati, in quo inhaereant, (veluti *τὸ σιμόν*, cuius definitio notionem *τῆς ῥινός* necessario continet,)[1]) haec si in disputando cum ipso substrato coniuncta sint, aliam habere significationem dicendum est, ac si sola proferantur. Etenim quum *ῥῖνα σιμήν* dicimus, apparet *τὸ σιμόν* non *κοιλότητα ἐν ῥινί* sed simpliciter *τὸ κοῖλον* significare. Quodsi quis notionibus ita coniunctis *τὸ σιμόν* eandem quam per se ipsum habeat vim retinere concesserit, idem bis dixisse arguetur. — Haec Aristoteles p. 181 b35 parum dilucide ita exponit, ut disputatio proprie ad cavi notionem pertinere videatur. *ἐν δὲ τοῖς δι' ὧν δηλοῦται κατηγορουμένοις τοῦτο λεκτέον ὡς οὐ τὸ αὐτὸ χωρὶς καὶ ἐν τῷ λόγῳ τὸ δηλούμενον. τὸ γὰρ κοῖλον κοινῇ μὲν τὸ αὐτὸ δηλοῖ ἐπὶ τοῦ σιμοῦ καὶ τοῦ ῥοικοῦ, προστιθέμενον δὲ οὐδὲν κωλύει, ἀλλὰ τὸ μὲν τῇ ῥινὶ τὸ δὲ τῷ σκέλει σημαίνει* (v. l. *σημαίνειν*, cf. Waitz. II, p. 578). His verbis manifesto corruptis alii alia ratione subvenerunt. Bekkerus Iulium Pacium secutus scripsit *συμβαίνει*, quod merito improbat Waitzius, qui ipse *σημαίνειν* legendum atque ea verba ita supplenda esse censet *οὐδὲν κωλύει μὴ δηλοῦν τὸ αὐτό, ἀλλὰ τὸ μὲν τῇ ῥινὶ προστιθέμενον ταύτῃ σημαίνειν αὐτὸ ὑπάρχειν.* Particulae *ἀλλὰ* eundem esse usum docet ac p. 172 a19, (cf 171 a29, 111 a14 all.) Hoc equidem non video: nam illis omnibus locis antecedente protasi condicionali v. *ἀλλὰ* in apodosi ita usurpatur, ut hanc tamquam veram et certam opponat iis, quae in protasi aut falsa esse aut incerta concedantur; hoc autem loco talem protasin neque scriptam videmus nec salva sententia e contextu verborum interpretando possumus elicere. Nec vero aliam, quae quidem possit probari, particulae *ἀλλὰ* explicandae rationem invenio; nam Waitzii interpretatio non tam ipsis verbis quam sententiarum nexu et ratione nititur; quae aperte postulant, ut *τὸ κοῖλον* aliud dicatur significare, si naso, aliud si cruri attribuatur. Propterea Aristotelem haec scripsisse suspicor *προστιθέμενον δὲ οὐδὲν κωλύει ἄλλο σημαίνειν, τὸ μὲν τῇ ῥινὶ τὸ δὲ τῷ σκέλει*; qui ordo verborum quum infinitivo *σημαίνειν* post *σκέλει* illato conturbatus esset, facile aliquis adduci potuit, ut sententiam ad eum, quem videmus, modum depravaret. —

---

1) De quibus v. Anal. post. I, 4 p. 73 a37 sqq. Metaph. VII, 5 1030 b28. all.